Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 117
Quelle:
Copyright:

dem *Ratisbonensem* ab an. 926. ad an. 937. tenuit, Coenobiumque praedictum in *Commendam*, ut ajunt, habuisse videtur.

LI. VI. C. 24.

150 Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. 196. f. charactere luculento, sed a Librario minus latine docto, qui voces duas jam inter se necteret, jam vocis ejusdem syllabas divelleret, exaratus, et bene sartus tectusque continet *Librum IV. Evangeliorum*, Inscriptionibus, Literis initialibus, et notis marginum harmonicis miniatis. Exordium ducit *Hieronymi* ad *Damasum* Papam Praefatio: *Nouum opus me facere cogis* &c. sed procedit tantum usque ad illa verba: *Sciendum tamen, ne quis ignarum* &c. quae alioquin melioris notae Codices non agnoscunt. Sequitur Prologus *Commentarii Hieronymiani* in *Matthaeum: Plures fuisse, qui evangelia scripserunt* &c. et hic tantum usque ad illa verba: *Satisque miror, Eusebi dilectissime* &c. Hunc excipit *Eusebii* Caesariensis *Epistola* ad *Carpianum* de Canonibus Evangeliorum: *Ammonius quidam Alexandrinus magno studio* &c. Non tamen statim succedunt ipsi Canones, sed interjacet primo illa lacinia *Epistolae ad Damasum: Sciendum tamen, ne quis ignarum* &c. superius rejecta, quae etiam in *Hieronymi* edit. *Vallars. T. X. col.* 665. separatim habetur; dein, ut inscribitur, *Argumentum secundum Matheum. Matheus ex iudaea sicut in ordine primus ponitur* &c. denique *Breviarium Ejusdem* secundum XXVIII. Capita, hoc initio: *I. Natiuitas christi. magi cum muneribus ueniunt. Et ioseph ab angelo per uisum admonitus cum puero et matre eius in egyptum fugit. infantes interficiuntur.* Hoc tandem absoluto *Canones* lineis miniatis porticuum instar, ut solent, inclusi comparent, post quos *fol.* 17. p. 2. non sine ductuum ornatu, litera unciali: *Incipit Evangelium Secundum Mattheum*, cujus prima verba eadem magnificentia usque ad: *Abraham genuit Isaac*, exarata sunt. Idem puta de reliquorum *Evangeliorum* initiis, quibus, uti *Matthaeo*, et *Argumenta* et Capp. *Breviaria* praefixa sunt. Numeri Capitum aliter, ac hodie, divisorum, uti et Canonum harmonicorum Citata minio in margine notantur. Textus ipse non continente linea scriptus est, sed saepe abrumpitur, et ad caput paginae redit, lineis initialibus ejusmodi περικοπων non raro minio exaratis. Ab editis ceterum nihil notabiliter differt. *Fol.* 189. p. 2. *Incipit Capitulare Evangeliorum de Circulo Anni*, lineis rubris nigrisque alternantibus. Initium est: *In natali domini Ad sanctam mariam maiorem. Secundum lucam. Kan.* (Cap.) *III. Exiit edictum a cescere* (Cesare) *augusto. Usque pax hominibus bone uoluntatis.* Collato hoc Capitulari cum eo, quod Celsiss. *Gerbertus* in *Monum. Vet. Liturg. Alem* ad *pag.* 417. publici juris fecit, sequentia adnotare visum est.